



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. De Electione à Capitulo facta in discordia, concurrente postulatione;
facta, partim de persona digna, partim de indigna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. VII.

Ad quos pertineat potestas eligendi, quando Capitulares elegerunt indignum?

IN casu hujus §. vel aliqui tantum Capitulares indignum scienter elegerunt, vel omnes; si aliqui tantum, potestas eligendi penes illos remanet, pro hac vice, privatis aliis, qui in electionem indigni non consenserunt, licet numero pauciores sint, quia in his, etiam si unus tantum esset, remanet jus Collegii *Gloss. in c. perpetuo 7. h. t. in 6.* Ita ut possint h. pauciores in tali casu vel statim, eodemque contextu, decretum electionis suae, si in ea persistant, promulgare, vel novum Scrutinium inchoare, exclusis illis, qui indignum scienter elegerunt. Si vero omnes deliquerunt indignum eligendo, potestas providendi, in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis ad Summum Pontificem, pro eâ vice, de jure antiquo devolvitur, uti & in Ecclesiis inferioribus ad eum superiorem, cujus est electum confirmare, *c. quamquam 18. h. t. in 6.* Quae devolutio etiam fit in eo casu, quo in secunda electione delinquant, indignum eligendo, qui in prima electione non deliquerunt, cum in tali casu etiam poenam privationis incurrant *c. bona 23. juncta Gloss. V. & non h. t.* quae tamen poena, nec ab his, nec ab illis incurritur, nisi subsequuta sit communis electio, ex votis male eligentium, ita ut, quamvis Scrutinium publicum sit, poenam tamen hanc non incurrant, sed ad aliud Scrutinium procedere possint, cum verba poenalia non loquantur de solo Scrutinio indigni, sed de electione indigni,

ut constat etiam ex *cit. Capit. perpetuo 7. h. t. in 6.* possunt tamen, si volint, qui soli habiles sunt in tali casu eligendi Praelati, etiam illos ad coeligendum admittere, qui propter indigni electionem pro illa vice privati sunt jure eligendi, uti notat *Gloss. in c. cum Vinconiensis 25. V. admiserant, h. t.* Cum privatio talis fiat in favorem dignè eligentium, cui cedere possunt. Sive tamen ad hanc secundam electionem gratiose admissi fuerint, qui propter indigni electionem pro ea vice jure eligendi privati fuerunt, sive exclusi fuerint, ad tertiam tamen electionem, si tertia facienda est, eò quod secunda effectum suum sortita non fuerit, admitti debent, ut Pontifex decidit *in cit. c. cum Vinconiensis 25. h. t.* cum isti suspensi non sint ab officiis, quorum actus est electio, sed jure eligendi tantum sint privati pro una vice.

§. VIII.

De Electione à Capitulo factâ in discordia, concurrente postulatione; factâ, partim de persona dignâ, partim de indignâ.

SI postulatio, & electio concurrant in discordia, ita uti aliqui Capitularium v. g. eligant, alii postulent aliquem, ut admitti possit postulatio facta de digno, rejectâ electione, requiritur, ut duae partes postulantium in postulandum consentiant, prout superiore *tit. §. 4.* jam dictum, & habetur in *c. scriptum 40. h. t.* si vero indignum postulaverint duae partes, quem ignorabant tamen indignum, eligentium vero tertia pars, vel minor etiam dignum elegerint, reprobatam tam postulatio quam electio, illa quidem, quia

quia facta est de indigno; hæc verò quia minor pars Capituli in eam consentit; cum enim in tali casu, quo indignum quidem, ignorantes tamen postulaverunt dux partes Capitularium, privatæ hæc non sint jure suo eligendi, consequenter à tertia parte electus, non est à majore parte Capituli, jus eligendi habentis, electus, ergo nulla est talis electio.

§ IX.

Ad quos pertineat potestas eligendi, si Capitulares inhabilem, sive postulandum, sine licentia, ac dispensatione superioris, ad administrationem receperint?

Resp. pertinere ad eos Capitulares, quamvis pauciores sint, qui non consenserunt, ut postularus, ante admissionem postulationis ad administrationem aliquam admitteretur; si verò omnes in eo admittendo consenserunt, & deliquerunt, ad superiorem, ad quem postulati admissio pertinet, devolvitur jus providendi tali Ecclesie *c. bona 23. h. e.* cum enim illi, qui talem admittunt ad administrationem ante postulationis admissionem, pro eâ vice privati sint jure eligendi, consequenter dicto modo fit devolutio, vide quæ in pari casu dicta sunt §. 7.

SECTIO II.

De electis, vel eligendis ad Pralaturas, & dignitates Ecclesiasticas.

§. I.

De qualitatibus requisitis in eo, qui eligendus est in Episcopum.

Quatuor qualitates requiri in eo, qui promovendus est in Episcopum ex *c. cum incunctis 7. h. t.* patet, ætatis scilicet maturitas, morum honestas seu probitas, litterarum scientia, & ut sit legitimo matrimonio natus; si enim, ut Pontifex in hoc Capitulo loquitur, in promovendis ad quævis officia Ecclesiastica hæc qualitates requirantur, multò magis in Episcopo hæc requiri debent; & quidem circa ætatem statuit in hoc ipso Capitulo Pontifex *juxta Concil. Lateranensis decretum*, ut nemo in Episcopum eligatur, nisi annum ætatis 30. compleverit. De scientia verò, quamvis Pontifex asserat in *c. nobis 19. h. e.* desiderandam quidem eminentem, tolerandam tamen competentem, ut muneris sui necessitati possit satisfacere, ut dicit Trident. sess. 22. c. 2. de reform. & ideo vult, ut talis eligendus vel Doctor sit, aut Licentiatuſ in sacra Theologia, vel jure Canonico, vel saltem publico aliqujus Academia testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Qualis autem vitæ morumque probitas requiratur in eo, qui eligendus est in Episcopum, describit Sanctus Paulus ad Timoth. c. 3. & ad Titum c. 1. Quod autem ex legitimo Matrimonio natus esse debeat, qui in Episcopum est eligendus, ex *c. innotuit 20. h. t.* patet. & quamvis cum illegitimè nato dispensatum jam fuisset, ut ad alias dignitates Ecclesiasticas, Episcopali inferioribus, eligi posset, non tamen vi talis dispensationis eligi posset ad dignitatem Episcopalem, aut hac majorem, prout sumitur ex *citat. c. cum Vintoniensis.*

§. II.

De qualitatibus requisitis, in promovendis ad dignitates Episcopatu inferioribus, & ad beneficia curata.

Eadem